



22. Juden de eodem. Vit. 1110.
 * Preside Andrea Sennero. Vrb. 1090.
 * Lep. Jos. Christoph Salk Hung.
 7. F. M. Lebar Kirchmajer de Flamanec curus Elis
 ex 2. Reg. II. Vit. 1687.
 + Kateser Jo. Christoph Wichmaushausen.

EX BIBLIOTH.
 NATIONALIS HUNGAR.
 VITEBERG.

VI-77

SIGNAT. CI. 1315 CCCXIII.

45 211/12 Theob. Vol. 37

+ ex Ps. LXXIII. 25. 26
 Pra Ps. XCIX. 6.

* ex Ecclesiastica XII. 1-7.
 Vit. 1683.

einzelne vorzettel 17. III. 1915.

1.
 3.
 4.
 5.
 6.
 7.
 8.
 9.
 10.
 11.
 12.
 13.
 14.
 15.
 16.
 17.
 18.
 19.
 20.
 21.
 22.
 23.
 24.
 25.
 26.
 27.
 28.
 29.
 30.



38 00) 42 a

עמי עשו

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,
FRIDERICO AVGVSTO,
EX
DOCTRINA HEBRAEORVM
LITERARIA,
DE

יְרֵמְיָהוּ

EX

IEREMIAE XXV.26. LI. 4L.

PRIOREM DISSERTATIONEM
PRAESES,

M. HENRICVS VILFELMVS MATTHAEI,
GRIMMENSIS,
ET RESPONDENS,

PETRVS AVGVSTVS PFEILIVS,
RENISDORFENSIS MISNICVS,

A. C. cIo Io ccIII. PRIDIE KALENDARVM APRILIS,
HORIS POMERIDIANIS,
PVBLICE DEFENDENT.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.



RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS REGIO
FRIDERICO AVGVSTO

DOCTRINA HEBRAEORVM
LITTERARIA



M. HENRICVS VV. PAVVS MATHIAS

PETRAE
A. C. G. T. S. B. H. P. R. I. E. K. A. L. E. N. D. A. R. V. M. A. R. T. I. S.
H. O. R. T. I. P. O. M. E. R. I. A. N. I. S.

LIBRARIVS
C. G. T. S. B. H. P. R. I. E. K. A. L. E. N. D. A. R. V. M. A. R. T. I. S.
H. O. R. T. I. P. O. M. E. R. I. A. N. I. S.





Res postulat, ut, quæ nomina propria in sacris voluminibus consignata sunt, explicentur, et ab omni interpretum vel ineptia vel fraude vindicentur. Quod si quis minus intelligit, quanta vis huic sincerioris interpretationis modo inest, ex depravationibus percipere potest eorum, qui vana et falsa vel legendi, vel scribendi, vel etiam interpretandi ratione suam aliis alii prodiderunt inscientiam, alii in errores etiam graves, atque haud scio, an gravissimos prolapsi sunt. Nomen illud DEO soli proprium יהוה quidam inter Græcos olim Patres et legebant et scribebat ΠΠΠ. Vti *Renatus Marobalus* in verustissimo interpretationis Septuaginta Senum Codice observavit. Vbicunque enim sacra vox יהוה occurrit, et ipsa, et ipsius interpretatio κύριος, alias quidem exhibentur; in fine vero paginae scriptum est ΠΠΠ, quod, Hebræis literis ob convenientiam in Græcas conversis, est Hebraicum יהוה. Hac enim ratione litera Hebræa ה in sui non dissimilem Græcam η, ι et γ itidem in π permutantur. Notavit idem hoc *Hieronymus in Epist. 136. ad Mercellam. Baronius Tom. I. Annal. A. 31. Col. III.*, et qui ab ipso adducitur *Optatus Milevitanus*, expositionem vocis **ΚΑΡ** Petra non ex Syra nativa, sed ex Græca lingua, ἀπὸ τῆς κερφαλῆς deducunt, ut hoc inde adstruatur mysterium: Petrus est **ΚΑΡ** h. e. κερφαλῆ, quoniam totius ecclesiæ catholicæ caput et fundamentum est, qui suam etiam vim Pontificibus Romanis continua successione communicavit. Inepta satis interpretatio, ad quam assurgendum quis putat, cum tantum inde fluere errorem comperiamus. His positis, jam in promptu est nostrum exemplum, quod, ut instituti ratio postulat, explicandum bono cum Deo fulcipimus.

CATVT I.

DE voce igitur קַבָּלָה ex Jerem. XXV, 26. LI, 41. duæ imprimis reperiuntur sententiæ, quarum una ab Hebræorum Doctõribus originem cepit, qui hoc verbum per Cabalam, quæ ipsis אַתְבַּשׁ audit, exponunt. Quos ut affectuæ sequuntur quidam et Veterum et Recentiorum præstantissimi. Deinde alii, qui Judæorum opinionem plus, quam aniles fabulas, et putidissima figmenta, derident, aliam commenti sunt rationem, vocabulum hoc pro Numine accipientes.

II. Ordiamur ab iis, qui hanc vocem per artem cabalisticam interpretantur. Sunt autem isti vel veteres, et ipsi Judæorum Magistri, vel recentiores, iique partim Lutheranæ, partim Calvinianæ, partim Papiasticæ religionis homines de quibus in §. II. c. II. Placet autem, quia disputatio de aliqua parte Cabalæ, אַתְבַּשׁ dictæ, futura est, ante definire, quid sit Cabala. Omnis enim, quæ suscipitur de parte aliqua plena et exacta institutio, debet a definitione totius proficisci, ut intelligatur, quid sit, in quo illa cum ceteris partibus vel conveniat, vel ab iisdem discrepet.

III. De Cabala igitur duplex est omnis quæstio. Vnum genus est, quod pertinet ad veram genuinam et dogmatibus Christianorum convenientem Cabalam: Alterum, quod positum est in anilibus Judæorum præceptis, quibus ad eruendum Sacri Codicis sensum utuntur. Superioris generis hæc definitio a Doctõribus nostris Theologis datur, quod nihil aliud, quam mysticus Scripturarum Sacrarum intellectus sit. *Sal. Glasius Phil. S. p. 302.* Hæc autem legis interpretationes, quæ divino munere nobis concessæ sunt, nullo modo in omnibus, sed iis tantum oraculis adhiberi debent, quæ Spiritus Dei, digito quasi exerto, demonstrat. Itaque *Petr. Cunæus lib. III. de Republ. Hebr. c. II. p. 464. seq.* Cabalam non cum vulgo eam dicit, quam alii aliis tradidere, sed quam cœlitus accepere viri sancti. Est enim קַבָּלָה acceptio. Huc referendum arbitror, quod de Homeri Poëmatis *Plato lib. II. de Republ. dixit*, quod non explicanda veniant per *ἑξηγησῶν* illam *δὲ ὑπονοῶν*, cum Homeri

θεομα-

Seo maxias suo iudicio ἔτι ἐν ὑπονοίας πεποιημένος, ἔτι ἄνευ ὑπονοίας
 accipiendas esse docet. Nam difficile omnino est adolescenti
 dignoscere, quid sit ὑπόνοια, quid non? Nihil aliud autem per
 ὑπόνοιας sive διανοίας, (utroque enim nomine appellantur a *Phu-*
tarcho de Audiend. Poët.) intelligi debent, quam ἀλληγορίας, uti dein-
 de dictæ sunt. Judæi has ὑπόνοιας dixerunt מרשי. Quicquid
 enim fatidici Vatum libri, quicquid Hagiographa continent, ejus
 duplex ipsas traditur significatio; una nuda et simplex, quæ פשוט
 et דבר גרוה et אגרה, quam דבר קודן et דבר דרר
 appellarunt, eosque ajunt valde falli, qui eam exponunt על דרר
 et פשוט, tanquam locutiones ab hominibus usurpari solitas.
 Et jam olim convenit inter ipsos omni Scripturæ sensum inesse
 utrumque עם הגרוה פשוט simplicem cum occulto, vid. *R. Mos.*
BenMaim. In hunc finem etiam adducit verus illud Rabbidorum
Cunæus l. c. איו מקרא ויצא מירי פשוטו אבל יש לו פשוטו עם
 : Nusquam Scriptura est מדרשו ואינו ויצא מירי כל אחד מהן
 absque sensu simplici, sed habet pariter, ut simplicem, ita my-
 sticum, his duobus non est, ut careat. Sive ut cum *Origene*
Lib. VII. contra Celsum loquamur: alia interpretatio est πρὸς τὸ
εἰρη. alia πρὸς διανοίαν. Rem facile multis exemplis confirma-
 re possemus. Sed breves esse laboramus. Profecto ex pluri-
 mis testimoniis, quæ ab Evangeliorum scriptoribus et Apосто-
 lis in sua scripta ex lege, et Vatum ex libris translata sunt,
 sublimior sensus quæritur. Etenim ea narratio, quæ de Jona
 per tres dies atque toridem noctes in visceribus ceti quasi
 sepulto refertur, historica est. Nec aliter tunc eam acceper-
 runt Hebræi. Ast Servator noster sublimiore sensu intellexit,
 et de sepultura sua interpretatus est. *Matth. X, 40.* Eadem
 arcana edocti omnes feederis novi scriptores fuerunt. Quippe
 multa ab ipsis oracula על משמו juxta sonum suum, hoc est,
 literæ suæ sensum, adducuntur, quæ על מרשו juxta sensum
 suum allegoricum et mystice explicantur. Quem interpre-
 tandi modum, quia ab ipso Spiritu Sancto originem habet,
 rectum esse et verum credimus omnino, ac profitemur.

IV. Est et alterum Cabalæ genus, quod ab illo differt, quodque primo alteram legis partem complectitur. Nam hujus distinctionem duplicem faciunt: una portio est תורה שבכתב lex, quæ literis consignata, et quinque Mosis libris absolvitur. Altera תורה שבעל פה lex ore tenus tradita, quam legis scriptæ explorationem esse dicunt. Nam *R. Bechai* in libro עיקר התורה היא התורה שבעל פה שאין תורה כד תקמה ait: תורה שבעל פה היא התורה שבעל פה, quam legem scriptam non potest explicari, nisi per legem oralem. Quod *Jo. Picus, Comes Mirandul. in Apolog. sua* ita exprimit: Præter legem, quam Deus dedit Mosis in monte Sinai, et quam ille quinque libris contentam, scriptam reliquit, revelatam quoque fuisse eidem Mosis ab ipso Deo veram legis expositionem, cum manifestatione omnium mysteriorum et secretorum, quæ sub cortice et radi facie verborum legis continerentur.

V. Deinde Cabala etiam comprehendit abstrusorem quandam artem, et mysteria tantum non impia atque superstitiosa. Cujus definitionem hanc dedit *Jo. Reuchlinus, alias Capnio Lib. III. de Arte Cabalistica p. LI. lit. E.* Cabala nihil aliud est, quam Symbolica Theologia, in qua non modo literæ, ac nomina sunt rerum signa, verum res etiam rerum. Quamvis hæc contemplandi ars nihil minus, quam Theologiæ nomen mereatur, quia nil nisi putida deliria, anilesque fabulas in se ut plurimum continet; tamen propter illam superbiunt Judæi, et Adamo hanc coelitus per Angelum fuisse datam nugantur. Sic enim *Commentatores libri Jezira* scribunt שהאבות רבותיהם של אדם היו ארבעה: i. e. quod Patrum præceptores fuerint Angeli noti, videlicet præceptor ipsius Adami, Razel: Et sic reliqui Patriarchæ habuerint suos præceptores, a quibus didicerint omnia, quæ ad hoc studium pertinere viderentur. conf. *Reuchl. Lib. I. p. VI. seq.* Et cum tempore Mosis hæc ars maximam partem oblitterata fuisset, hic eandem a Deo edoctus iterum restauravit, et pristinae suæ auctoritati reddidit. Id quod *Cabalista ille Azariel Bar Salomon Geronens.* citante

citante Reuchbl., confirmat, לשמוע היו יכולים לא כל הנביאים
: משה: non omnes Prophetæ fuerunt potentes ad audiendum sermonem ab ore Dei, nisi Moses. Huic autem viro erat Angelus quidam familiaris Metatron. Sic enim scribunt Cabalistsæ רבו של משה מטטרין Præceptor ipsius Mosis fuit Metatron.

VI. Non solum autem ejus originem a Deo ipso ducunt Hebræi, sed varios etiam multosque inde redundantes fructus referunt, cum hac doctrina nihil ipsis videatur unquam hominum generi a Deo collatum experibilius, nihil ad salutem animorum consequendam aptius, nihil, quo mens humana naturam divinam certius induat. Sic per eandem doctrinam acquisivissè Salomonem, Regem omnium Sapientissimum, illud contendunt, quod scriptum est, *in libro. 1. Regum cap. IV, 29.* quod dederit Deus Salomoni sapientiam et prudentiam **היה** שפת אשר על שפת הים, nimis multam, sicut arenam, quæ in littore maris. Ut adeo sapientia ejus facile præstantior fuerit omni omnium terras orienti subjacentes et Ægyptum incolentium sapientia. Id quod videre est ex verbis *Gerundensis*, qui ita concludit **כל זה ידע בתורה** omnia hæc cognovit per legem, et omnia invenit per expositiones suas, per grammaticas subtilitates, et per literas ejus, et per calamificationes.

VII. Duplex autem est, ut plurimis videtur, hujus Cabalæ, quæ circa nominum et vocabulorum mysteria occupatur, consideratio. Nam alia dicitur **עיונית** Theoretica, quæ et Symbolica audit, alia **מעשית** Practica, sive Realis. Illa circa explicationem Scripturæ Sacræ versatur, hæc circa applicationem, et tota impia est, et impura, iisque constat expositionibus, quæ obscurissimis ambagibus argumentum confundunt. vid. *Elias Levita in Thibi lit. p. B. Pfeiffer. in Critic. p. 277.* Referendum huc etiam arbitror illum *Tractatum Psalmis Davidicis qui Venetiis A. C. 1571. excusi sunt, annexum,* cujus inscriptio talis est, **שמוש תהלים** usus Psalmorum. Qui liber et perquam

quam superstitiose compositus est, et magiæ maledictæ per
caractheres suos portam quasi aperit. Sic primum statim in-
ter Psalmos exempli loco adducimus, quem in membranæ
superficie scriptum cum nomine Angeli, qui אלרד nomina-
tur, collo gravidarum mulierum appendunt, ut periculum ab-
ortionis ab ipsis depellat, vid. 70. *Buxtorff. Biblioth. Rab. p. 415.*

VIII. Illa pars, quam עיונית Theoreticam appellant,
pro triplici suo munere recte iterum tres partes constituit.
Nam aut dictionem pro dictione, aut literam pro dictione,
aut literam pro litera ponit, ut partes totius artificii sint
גמטריה i. e. Arithmetica, נוטריון pars quasi Notarius pro-
pria, תמורה i. e. Computatio elementorum. Plura de his
vide apud *Sal. Glasium in Phil. S. p. 303. seqq.* Quæ omnia R. *Jo-
seph. Bar Abrahami* inscriptione, quam libro suo גנת גנת ex
Cant. VI, 10. imposuit, indicare voluit. Quemadmodum
enim iste liber totus in eo versatur, ut symbolicam Cabalista-
rum institutionem tribus voluminibus, quorum primum de
dictionibus, secundum de literis, tertium de punctis agit, cla-
riorem faciat; ita ejus titulus propter ternas literas distin-
ctionem Cabalæ Theoreticæ exprimit, adeo, ut singulæ literæ
singulas portiones, et quidem Gimel, גמטריה, Nun, נוטריון,
Thau, תמורה significant. Alii ab hac divisionis via seceden-
tes aliam ingrediuntur, et quintuplicem faciunt, ut R. *Hamai*
in libro העין Speculationis, *Reuchl. citante*, ubi membra sic no-
minantur ושרת Rectitudo, וצירוף ומאמר ומבלל ורשרת Com-
binatio, et Oratio, et Sententiâ, et Supputatio. Nec desunt, qui
alias adhuc partes exhibent. Consultatur *Glasf. Phil. de Alleg.*
p. 303. Plurima tamen Cabalistarum pars sequitur Autorem
libri גנת et in tria Cabalam membra dispescit. Sicuti au-
tem hic Hebræorum mos est creberrimus, ut, quantum fieri
potest, actiones suas certo Sacri Codicis fundamento super-
struant, licet sapius nimis incongrue; sic triplicis hujus divi-
sionis sedem esse propriam illud Salomonis oraculum credunt,
quod *cap. XXII. 20. 21.* ita se habet הלא כתבתי לך שלשים
nonne scripsi tibi tripliciter, sive triplicia, ut alii reddunt,
consul-

consulto et ex sententia, ut scire te facerem certitudinem eloquiorum veritatis. Sic enim Hebræi loqui amant, cum hanc contemplandi artem describunt, ut eam appellent אמרי אמת eloquia veritatis, scripta scilicet על דרך האמת secundum viam veritatis. conf. *Reuchl. lib. III.*

IX. Nunc ut instituti nostri ratio postulat, ultimam speciem, quæ modo תמורה appellabatur, explicandam suscipimus. Cujus præcipui sunt duo modi, quorum prior fit per simplicem literarum earundem *μετάθεσιν* et transpositionem, posterior per alphabetariam permutationem, sive revolutionem. Istos literarum lusus nequaquam rustice ac indocte intelligendos esse, sed omnium occultissima, per quæ de arcanis Scripturæ Sacræ mysteriis constat, continere asseverant. Per literas enim vera Scripturarum notitia liberaliter se nobis offerre censetur, si dignos nos, ac mentis sinceritate præditos, castique amoris ardore flagrantem invenerit. Prioris modi exemplum præbetur ex *Psal. XXI, 2.* Domine in virtute tua ישמח Rex. Vbi scilicet David anagrammatismo usus Messiam occulte elementis transpositis denotavit. Si enim litera transponuntur, est משיח Messias. Posterior autem ratio dicta, *Jo. Reuchl. lib. III. p. LXIV. lit. A.* definiens, est commutatio literaria, ut dictio certis literis scripta symbolice designet aliam dictionem per alias literas compositam, & fit per Alphabeti revolutionem. Diversis iterum hic modus gaudet speciebus, quas omnes hic repetere necesse non est. In libro Creationis alphabetum juxta numerum literarum bis et vigesies permutatur. Nos tantum adducimus, quæ ad speciem אתבש dictam spectant. Totum hoc artificium litidem evenit ex elementorum combinatione, ut ponatur litera pro litera mutuo sibi jugo combinata, ita quidem, ut א cum ת, ב cum ש convertatur, et contra, atque sic totum deinceps alphabetum, hoc pacto :

אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת
תשרקצפעסנמלכיטחווהרגבא

B

CAPVT

CAPVT II.

Verum nihil haecenus actum nobis, nisi quod viam ad
 sequentia munivimus. Nunc eorum errori occurren-
 dum, qui in explicatione *ששן* Cabalam *אחבש* exigunt. De
 hac voce, quæ apud *Jeremiam c. XXV. 26. et LI. 41.* reperitur,
 Cabalistsæ ajunt, quod sit symbolum atque signaculum Regis
 Babylonici, et procedat ex demonstrata alphabeti commuta-
 tione. Scilicet, quia *ש* bis ponitur pro opposita ejus *ב*. Quia
 item pro *כ* sumitur opposita ejus *ל*, ut inde emergat *בלל*.
 Quæ elementorum hac in voce commistio Judæis eo verifi-
 milior omnino videtur, quo excellentius idem studiorum
 genus Jeremias præ ceteris calluit. Ipse enim virtutes alpha-
 betorum et potestates a Deo sibi collatas gloriatur, uti *בשרון*
 Liber Spei R. *Mosis Bar Nachman.* de eo testatur. Omnis res
 sic se habet. Videlicet Jeremias librum *יצירה* diu multum-
 que legens *בת קול* Filiam vocis audivisse perhibetur, quæ tri-
 bus illum annis eidem volumini incumbere jusfit. Hisce præ-
 terlapsis mirum in modum hæc characterum conjugatio
 ipsum cepit, animumque suum tenuit, ut manum admoveret,
 in iisque operaretur. Sed quid? Mox sibi atque sodalibus no-
 vus creabatur homo, cujus in fronte hæc verba legebantur :
יהוה אלהים אמר Tetragrammatum Deus veritas. Atque
 hic modo conditus homo, ut primum scripturam fronti
 ejus impressam sensit, manum applicavit, ac *א*, quæ est prima
 litera in *אמת* delevit, ut sensus fluere *יהוה אלהים מת* Tetra-
 grammatum Deus mortuus. Quæ ut vidit Jeremias, equidem
 ex indignatione vestimenta sua dirupit, inquit : Tu, qua-
 re, litera *א* adempta, vocem *אמת* corrumpis? Ille autem re-
 spondit : Hac ratione pulsus feci, quod feci, quoniam homi-
 nes deficiunt ubique a fidelitate Creatoris, qui vos creavit ad
 imaginem, et similitudinem suam. Dixit Jeremias. Quomo-
 do igitur revertamur ad DEVM? Respondit ille : *כתבו*
 alphabeta ad spatium in hunc pulverem dispersum juxta in-
 telligentias cordium vestrorum. Et fecerunt ita, et rever-
 sus

fus est ille homo in omnium conspectu in pulverem, atque sic evanuit. Hæc de Jeremia narratur fabula, qua ipse non iolum Cabalam edoctus, sed scriptis etiam suis fatidicis eam interuisse demonstratur. Vti ex nostro hoc exemplo ששך patet, quod Judæorum Doctores ad hoc artificium referunt, et per אהבש explicant. Sic enim *R. Davidem*, sic et *Salomonem* transtulisse ex *Jo. Buxtorf. Bibl. Rabb.* constat. Ex iisdem hæc verba allegantur. מלך ששך מלך בבל כאלפא ביתא דאהבש Rex Sefach idem est, ac Rex Babel, per Alphabetum אהבש. *Chaldaicus Interpretes* transtulit וּמַלְכָּא דְבַבְלַי et Rex Babylonis.

II. Cum autem nihil unquam tam insulsi fuerit atque stolidi inventum, quod non habuerit suos sectatores: idem hoc in nugis hisce cabalisticis reperimus. Extant enim non pauci, quorum calculo Judæorum opinatio comprobatur. Ex Patribus istos subsecutus est *Hieronymus*, qui hunc interpretandi modum a Præceptore suo Hebræo didicisse creditur. Fecit autem Jeremias, ut ipsi videretur, consilio, nomen Babylonis tectum obscurumque proferens, ne Regem offenderet, et in se et populares exacerbaret Babylonios, urbem tunc obsidentes, *in Comment. V. in Jer.* Inter ceteros id etiam facit *Calvinus*, ut hujus judicio Judæi scirent non esse festinandum, cum prædicta fuisset pœna Babyloni, quia hoc esset vaticinium quasi sepultum, ut verum nomen Propheta reticeret. Ac viderur hæc sententia et aliis posse adstrui argumentis. Nam *Th. Reinesius* eodem modo de ששך locutus est *in Fasc. Ep. I.* cum ait: Mihi videtur, pro more Prophetarum, quos nomina propria vel vocibus vicini soni, vel ejusdem numeri, vel conversis literis, vel allusionibus, ad certa quædam gesta vel eventa variare consuevisse notum est, præsertim cum ingrata prædicarent. Ad argumenti sui demonstrationem proferunt unum alterumve testimonium ex *Gregorio Nazianzeno*, ubi Græcus ille cognomento Magnus Theologus idem hoc de Mose asseruisse videtur. Cujus verba non dubitabo afferre, quoniam pro adstruenda Cabala adhiberi solent: βέλτεται ἕνω πλαξὶ σφραγῖς καὶ λιθῖναις ἐγγράφεται, καὶ ταύταις ἀμφοτέρωθεν διὰ τὸ Φανώμενον τῶ νόμῳ καὶ τὸ κρυπτόμενον τὸ μὲν τοῖς πολλοῖς καὶ κάτω μέντοι, τὸ δὲ ἰσχυρῶς καὶ ἀνω φθάνω, i. e. Vult ita tabulis solidis et lapideis

deis conscribi et iis altrinsecus propter manifestum legis et occultum, illud quidem multis et inferius manentibus; hoc autem paucis et sursum venientibus. Similiter in libro de statu Episcoporum ait: δεχεται νόμον, τοῖς μὲν πολλοῖς τὸν τῷ γράμματος τοῖς δὲ ὑπέρ πολλὰς τὸν τῷ πνεύματος. Accipit legem, ipsis quidem multis eam, quæ est literæ, ipsis autem super multos, eam, quæ est Spiritus.

III. Hoc quibus placet, recte quidem per $\gamma\psi\omega$ Babylona intelligunt. Nihil enim apertius illo Jer. c. LI. 41. נלכרהך $\gamma\psi\omega$ quomodo capta est Sefach? Sed id fieri per $\psi\alpha\eta\alpha$ five per literarum oppositarum commutationem assentire non possumus, quicquid etiam rationis in medium proferant. Deridemus contra cum Scaligero s. de Emendatione temporum has Judæorum ineptias. Nam omnis omnino Cabalæ hujus, quæ in theoria consistit, et ab arte dependet, auctoritas tali fundamento nititur, quod Codex Sacer plane ignorat. Literarum enim apicibus pro lubitu transmutatis, transpositis, numeratis mera inest incertitudo. Hinc neque exinde de altioribus sacrorum voluminum interpretamentis constare potest. Notetur hic imprimis, quod hac ratione non difficile sit ex falso verum, et ex ipso Diabolo Deum facere, cum quilibet norit, quæ monstra e literarum permutatione, trajectione, enumeratione fingi possint. Nonnullarum jam inde a primis Ecclesiæ temporibus hæreseon fructus ex his radicibus succereverunt. Originem exinde suam maxime impia et detestanda Valentianorum et Gnosticorum dogmata traxerunt. De quibus Epiphanius, *Heres. 31. Irenæus lib. 1. c. 13.* ἔξιοι δὲ πένθος οἱ τηλικαύτην θεασέθειαν, καὶ τὸ μέγεθος τῆς ἀληθείας ἀρρήτως δυνάμειος, καὶ τὰς τοσαύτας οἰκονομίας τὰ θεῶν, διὰ τὰ ἄλφα καὶ τὰ βῆτα, καὶ δι' ἀριθμῶν ἔταψυχῶς, καὶ βεβιασμένως διασύροντες, ὅσοι δὲ ἀπίσαντες τῆς ἐκκλησίας, καὶ τὰτοις χρωόμεσι μύθοις πείθονται, ἀληθῶν αὐτοκατάκριτοι. h. e. interprete Gellasio. Digni vero sunt luctu, qui tantam pietatem et magnitudinem veritatis, cujus vis nullo sermone exprimi potest, tantas dispensationes Dei, per Alpha et Beta, ac per numeros tam frigide et violenter distorqueant, quotquot autem deficiunt ab Ecclesia, et credunt istis anilibus fabulis, revera suo ipsi iudicio condemnati sunt. Idem

de duobus Hæreticis, qui *Marcus* et *Calarbasus* appellantur, dixit *Tertull. Libr. de Prescript. c. 50.* quod ex ordine literarum alphabeti lusu quodam cabalistico multa inepta et periculosa dogmata extruxerint, abusi ad hoc exemplo Christi, qui *Apoc. 1, 8.* inquit: *ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω.* Ego sum Alpha et Omega.

IV. Illud vero, quod supponunt *Hieronymus*, *Calvinus* et *Reinesius*, valde incertum atque indubium, neque a quovis temere concedendum. Nam quod sententiam *Hieronymi* spectat, recte ei *Nicolaus de Lyra* in *Comment. suo ad Jerem.* objicit: aperte Babylonis interitum sapius cum a ceteris ab *Es. c. XIII. XIV.* et sic porro prædici: tum a *Jeremia c. L. et LI.* Id quod etiam contra *Calvinum* observari potest. Neque, quod simul contra reliquas opiniones adduxisse sufficiat, hanc permutationem in nominibus propriis personarum et locorum dignum prophetis lusum esse arbitror. Res est in promptu, nec disputatione eget. Omnis facultas prophetica recte a Deo ad nos derivatur, ideoque nullum ullius vaticinii præsidium in artificialium causarum consideratione positum est. Ut hujus rei demonstratio definiendo aperiatur, Prophetiam cum *Petr. Dan. Huetio* in *Demonstr. Evangel. p. 10.* circumscribimus per narrationem rerum futurarum, quæ nondum contigerant eo tempore, quo Prophetia illa edita est, quæque etiam ex naturalibus causis prævideri non possunt. Vnde et homines ethnici, qui quippe uni Deo futurorum cognitionem omnes fere adjudicant, vates suos futurorum præcios, divinos nominaverunt. Exemplo est scitum illud *Homeri* in *Iliade g. c.*

κάλχας θεσορίδης ἰωνοπόλων ὄχ' ἀριστος,
ὅς ἤδη τὰ τ' εἶοντα, τὰ τ' εἰσοόμενα, πρὸτ' εἶοντα,
καὶ νῆεσσ' ἠγήσατ' ἀχαιῶν Ἴλιον εἶσα,
ἔν δ' αὖτ' ἀμειψόμενοι, τὴν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων.

*Calchas Testorides augurum longe optimus,
Qui sciebat et presentia, et futura, et præterita,
Et navibus Dux fuit Achivorum illa intra
Suam propter vaticinandi artem quam ei præbuit Phœbus Apollo.*

Et præclarus ille Romanorum Vates, *Marcus*, fidem suis vaticiniis facturis inquit: Mihi ita Jupiter fatus est. Quod affert

Livius

Livius lib. 25. Varie hanc quæstionem tractarunt veteres Philosophi. *Jamblicus* magni inter suos nominis in egregio suo de *Mysteriis Opere* bene scribit: Vaticinium ipsum nec ab arte, nec a natura, nec a naturalibus, vel animalibus rationibus, motibusque efficitur, neque fit ullo modo, sed utique sempiternum est, missum ad nos usque divinitus, totaque potestas præfaga refertur ad Deum, et omnis hujus auctoritas consistit in eis, atque inde traditur, divinisque operibus tanquam signis, perficitur. Nec ab hoc doctrina deflexerunt ceteri, quos colligere otii nostri non est. Atque hæc sane ad institutam disputationem sufficiunt, cum quæ allata est definitio, concludat *ἐπισημονικῶς*. Nam si prophetia versatur circa res, quarum scientia ex artificialibus causis non pendet, intelligunt omnino Cabalæ amatores, quantum eos hoc studium fallat, dum a cordatioribus inane hominum figmentum recte existimantur, quæcunque de Deo, Deique verbo, ac rebus divinis sibi ad credendum tradi solent.

V. Sed forte ne id quidem ad fidem faciendam satis firmum aliquis putet, quia objici quoque possunt alia testimonia ex Prophetarum libris a Judæis depromta. Ex multis vero, quæ adduci solent, istud, quod apud Mosen est *Gen. XI, 30.* exemplo nobis esse poterit, ubi Sara, Abrahami conjux præter familiare ipsi nomen etiam *יסכה* audit, de quo hebræi doctores perhibent, quod procedat ex elementaria hac ratione, cujus beneficio *שרה* scribi debet *בגץ*. Quoniam vero hæc literæ *ב* et *צ* numerum constituunt nonagesimum quintum, quem et nomen *יסכה* continet, *שרה* et *יסכה* pro eodem nomine agnoscunt, et Saram alio nomine et *Jiscam* dictam fuisse colligunt. Sic *פרץ Gen. XXVIII, 29.* per *אתבש* est *וגה*, quæ literæ valent *י* quatuordecim. Totidem vox *רוה* David, si arithmetice consideras, complectitur. Occulte ergo per *פרץ* Davidem præferre possemus, quorum in sacris neque vestigium apparet, neque vola. Ejusmodi quædam a Prophetis quoque usurpata fuisse, *Jeremiæ* inprimis exemplo evincere conantur Judæi, utpote qui e sacerdotali familia oriundus talium *אגודתו* fuerit

peritissimus. Cujusmodi illud est, quod c. LL. i. profert, ubi Chaldaei vocantur קמי לב cor insurgentium. Quae voces juxta R. Salomonem et AbenEzram literis suis per modum אהבש exhibent vocem כשרי Chaldaeos designantem. Certe et Chaldaeus transtulit רכסרא. Graeci verterunt χαλδαίος. In his interpretandis aliisque Scripturae locis, quae cabalicum sensum recipiunt, plerorumque Judaeorum desudavit industria, ut pervulgatum hoc inter se usurpent effatum: אין בתורין אפילו אות אחת שאין הררים גדולים הלוים כו': quidem in lege litera extat, e qua non pendeant montes magni.

VI. Quod si haec in Cabala fundata dicamus, vel ex Judaeorum fabulis explicanda, quænam voluminibus sacris constabit fides, hominum ineptissimorum temeritatem passis, itidem ut vulgaribus ipsorum scriptis contingit? Quam multa absurda inde oriuntur naturæ rerumque ordini, legi etiam Mosæicae, Prophetarum sententiis ac veritati ipsi contraria? Sane testimonia ex Mosè et Prophetis aliam plane admittunt interpretationem, quam hic adduxisse locus non postulat. Quod quoniam abunde factum est ab aliis, præcipue ab iis, qui susceptis adversus hosce nugatores ventilationibus et controversiis inclaruerunt, disputatione hac supersedimus. Vnicum hoc, quod petebatur ex Jer. LI, 1. refellam, licet jam sæpe etiam interpretum studio solutum sit. Quis nescit, quod ex stylo suo et more Scriptura Sacra ab animalium partibus et membris metaphoras interdum deducat? Sic cor animalis, quia propemodum in medio pectoris residet, per metaphoram pro rei cujusque medio, vel etiam interiori parte accipitur. Qua periphrasi usus Jeremias nominavit Babylo-nem קמי לב cor insurgentium adversus Deum. Scilicet quia hæc urbs, tanquam regina, in medio inimicorum Dei collocata erat.

VII. Porro suppedabit argumentum Judaeorum discrepantia, qua tanquam suo sibi gladio ipsi jugulantur. Ex superiori divisione constat, Cabalam תמורה vel צירוף certas in se continere species, inter quas etiam אלבם pertinet, cujus integra constitutio sic est:

א ב ג ד ה ז ח ט י כ

Vt

Ut adeo æque, ac אֶחָדָּשׁ, in artificiosa elementorum commutatione consistat, et litera pro litera ordine parallelo sibi subscripta invicem sumatur. Exemplo est nomen proprium illud טַבְעָל ex *Es. VII. 6.*, quod Cabalisticè ad hanc transpositionem referunt, et literis hac ratione mutatis טַבְעָל per רַמְלֵהוּ filium רַמְלֵהוּ interpretantur. Enimvero dum ad rei veritatem infuscandam plurima ingenio suo prefigebant Hebræi, haud quaquam senserunt, in magnam rerum opinionumque discrepantiam sese esse delapsos, sibi que ipsos invicem, quod mendacibus evenire solet, sæpe contradicere ac repugnare. Multis exemplis demonstratu facile est, quibus etiam illud oraculum ex *Esaiâ* annumerari solet. De cuius expositione per אַבְנֵי אֶבְרָהָם Aben Ezra expresse dicit, quod וְזוֹ הוּא הַבְּרָכָה vanitas sit. Aliam præterea opinionem *R. David Kimchi* tuetur, qui in *Comment.* inquit: טַבְעָל *Tabéal Chaldeum Interpretem* per נַטְרִיקוֹן, quem Cabalæ modum jam supra monui, accepisse pro טַב אֱלֹהֵינוּ i. e., qui bonus sive commodus nobis futurus est. Plura afferre poteramus in eam sententiam, si incerta res, aut controversia ageretur. Satis est hoc Hebræorum discrepantiam ex eo cognoscere. Constat etiam de pervicacissimis inter Judæos *Carraitis*, quantum a doctrina hac Cabalisticâ recesserint, dum legis verbis adherentes mysticos sensus, et allegoricas interpretationes respuebant. Notabilis inprimis *Clariss. Doctoris, Aben Ezra* sententia, qui in *Pref. de Lege Interpretanda in Bibl. Bomb. Venet. A. C. 1523. ed.* diversos legis explanandæ modos proponit, eumque tandem solum amplectitur, qui literæ inheret, ac verba prosequitur, allegorias omnes repudiat atque negligit.

VIII. Quid igitur Cabalam hanc amplectamur? Equidem obtusa adeo pectora non gerimus: imo vero ad Autores suos artis remittimus fallaciam, contortaque ad veri destructionem ἐπινοήματα, et impia reperta superstitionum hominum. Nam quantæ hinc extiterint nugæ, quis tam hebes est, qui nesciat? Adde tot fabulas, tot somnia tam nullius acuminis, tamque nullius saporis, ut cum ea aliquis cordatus legat, continuo ipsum capiat satietas atque fastidium, et nugentem ipsi audire videatur. Nisi forte nobis potius serio cum *Cl. Jo. Francisco Buddeo* persuadeamus Hebræis sapientioribus forte nunquam ejusmodi quid in mentem venisse, ut hac ratione verum sacræ Scripturæ sensum elicere studuerint, sed pro symbolis certis has Cabalæ species habuerint, quibus ad dogmata propaganda usi sunt. vid. *Ejus Introductio ad Hist. Philos. Hebr. p. 209.*

Ung. VI 17

ULB Halle

3

002 114 550




sb

1028
1017

7







38 00) 42 a

עמי עשו

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,
FRIDERICO AVGVSTO,

EX
DOCTRINA HEBRAEORVM
LITERARIA,

DE

קטן

EX

IEREMIAE XXV. 26. LI. 41.

PRIOREM DISSERTATIONEM
PRAESES,

M. HENRICVS VILFELMVS MATTHAEI,
GRIMMENSIS,

ET RESPONDENS,

PETRVS AVGVSTVS PFEILIVS,
RENISDORFENSIS MISNICVS,

A. C. cIo Io ccIII. PRIDIE KALENDARVM APRILIS,
HORIS POMERIDIANIS,

PVBLICE DEFENDENT.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.